

si unus, vel plures, perspicua quidem est respectu sensus simpliciter dicti; at respectu veri obscura: ambigi enim potest, utrum ille unus, an verò illi plures etiam sint sensus veri: aded ut obscuritas veri sensus sit, & in oratione cuius unus, & in oratione cuius plures se offerunt sensus. Quòd si verò unus ille oblatus sensus, etiam sit unicus, illaque oratio nullum alium admittat, erit etiam verus; sin minùs, quod plerumque, si non semper obtinet, non erit, quamvis esse possit, illicò talis; dispiciendumque, similiter ac in oratione, cuius plures se obtulerunt sensus, quisnam ille sit, si unus, aut quisnam, si plures ab Authore fuerint intenti, quod, num fieri queat, sub finem hujus capituli inquiremus. Hæc autem sensuum in unâ oratione multitudo *Ambiguitas* vulgò nuncupatur, de quâ, cùm orationem respectu veri sensus reddat obscuram, nobis post obscuritatem simpliciter dictam etiam arbitrandum erit.

9. Hæc autem *Obscuritas* quadruplex esse potest, vel unius vocabuli, seu phrasios; vel totius alicujus orationis; vel multarum simul orationum periodò comprehensarum; vel integri scripti. Fieri quippe potest: I. Ut unum aliquod vocabulum, aut una aliqua phrasis, totum orationis sensum reddat ignotum. II. Ut, quamvis cujuslibet vocis significatio sit perspecta, propter tamen earum compositionem, atque constructionem oratio obscura evadat. III. Ut orationes, quarum quæque, si sola spectetur, perspicua sit atque facilis, connexæ tamen atque conjunctæ totam, quam componunt, Periodum obscuram efficiant atque difficilem. IV. Denique ut à periodis claris atque intelligibilibus, at confusè inter se dispositis, ac tumultuariè trajectis, integrum confletur scriptum, quòd intelligi nequeat. Atque harum, si non omnes, aliquas saltem perstringit Cicero lib. 3. de Orator. his verbis. *Isti, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simulac Fufius, aut Pomponius agere cœpit, non æquè, quid dicat, nisi admodum attendi, intelligo, ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia, ac turba verborum; ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem & tenebras afferat, atque ut quodammodò ipsi sibi in dicendò obstrepere videantur.*

10. Obscuritas unius vocis aut phrasios est, vel isti linguæ, quâ loquimur aut scribimus, propriæ, & vernaculæ; vel alienæ: hæc *Barbaries*, illa *Insolentia* vocatur.

11. *Insolens* atque inusitata vox aut phrasis est, quæ aut ob vetustatem non tantùm antiqua, sed antiquata & obsoleta est, aut præ nimiam novitatem nondum in usum introducta & recepta. Conficiuntur enim & senio vocabula, ac intereunt, quemadmodum homines, & alia rursus in lucem protruduntur, ac in demortuorum locum succedunt, secundùm illud Horatii in Arte.

Ut